Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2713
Quelle:
Copyright:

tis quia pro grege domini meruit coronari. ℣. *Fidei namque conſtantia feruens ideo tripudiat ſanguine laureatus.* ℟. *Inſectatione uuandalorum dum peſundaretur gallia beatus deſiderius prœerat lingonum preſul uenerandus.* ℣. *Virtutibus perquam inſignis ac genere pollens.* ℟. *Depopulatis galliis gens barbara direxit tandem — — ad capiendum lingones ciuesque ut neci darent niſi chriſtum ſpernerent.* ℣. *Auiditatis inſtinctu urbem affligentes. et ut legis diuine inſtituta delerent. In II. Nocturno.* A. *Agmine boſtili cum foret urbs uallata beatus deſiderius compellabat dominum ut plebi ſue adeſſet in perſecutione graſſante — bellico ſacer praeſul muri conſcendit celſa ut alloquendo truces compeſceret.* A. *Dei miles tunc inquit interritus o miſeri comprimite manus quia Chriſti cultores ſumus ipſumque uerum confitemur deum.* ℟. *Sacerdos deſiderius cum boſtica manus urgeret — — urbem bellicis cohortibus inquit agite queſo parcius quia Chriſtum deum colimus illique uere famulamur.* ℣. *Nolite in nobis admittere ſcelus. per quod dei iram uobis prouocetis.* ℟. *Cum ſceleſta multitudo perſiſtere ciues cerneret in confeſſione deitatis nitebatur acrius moenia capeſcere urbis.* ℣. *Preſulem ſacrum cum plebe fideli ut improba cohors impie neci daret.* ℟. *Atrox turba demum urbem coeperat* — Reliqua valde extrita ſunt. Quae legi poſſunt, adprime cum *Actis* a *Warnahario* excultis conueniunt, quae apud *Bollandianos* T. V. *Maji* ad diem 23. p. 244. habentur, militantque pro eorum ſententia, qui *Deſiderii* Martyrium Seculo III. *Vandalis* etiamnum Gentilibus annoque ſalutis 264. adſignant, contra eos, qui Seculum V. et *Vandalos* jam Arianos malunt. Utriusque Sententiae momenta habes *Galliae Chriſt.* T. IV. *col.* 512.

DCCL.

Codex membraneus lat. Sec. 59 XI. aut XII. incipientis Folior. 21. f. per duas columnas probe ſcriptus continet I. *Godeſcalci Monachi*, non illius turbulenti *Orbiacenſis*, qui circa an. 870. obiit, ſed alterius, et fortaſſis illius, cujus *Planctum de tranſitu domni Odilonis* Abb. Cluniacenſis an. 1048. defuncti edidit *Andr. Duchesnius Biblioth. Cluniac.* p. 330. *Sermones duos apologeticos*, quorum prior incipit: *Ecce Crux creatoris. cum omnibus creaturis. in cruce ſaluandis. aut extra crucem damnandis.* &c. Ex quibus verbis adparet, adfuiſſe hic olim *Crucis figuram*, et quidem, ut ex continuatione *Sermonis* liquidum fit, ſuperne Angelis, inferne Diabolis, ad latus dextrum Iuſtis, ad ſiniſtrum Impiis ſtipatam. *Fol.* 2. p. 2. Autor praeceptoris ſui meminit his verbis: *Quod ille non bene perſpexit, qui magiſtrum meum* heinricum *bonę memorię in hoc* Reſponſorio *quod fecit. uidelicet* Omnis lapis pretioſus *reprehendit. ideo quia dixit idem* Heinricus. *omnis* lapis pretioſus operimentum domini &c. Tandem *Fol.* 7. p. 2. ad ſe defendendum delabitur, quod in Se-